

que adeo ruina et iustitiae profanatione! Magna est etiam in hac re legum iudiciariarum, quibus nos utimur, excellentia: earum auctores non solum apertis verbis affirmant <sup>u)</sup>, sed re ipsa monstrant, id se consilium secutos esse, ut legibus his propositis iuris certitudo et omnibus aequa iustitia reddatur: docet id, genus dicendi cautissimum quidem sed clarum simul et facile, ut semper scias, quid velit sibi legislator? cur sic iusserit rem institui? cur haec mutaverit, haec servaverit? Legat, qui rei per totum sermonem utriusque legis oculenter probatae eminentis documentum optaverit, titulos de libello et de probatione eiusque auxiliis <sup>v)</sup>: in quibus deprehendet ordinem dilucidum, principiorum philosophicam rationem, iuramentorum, documentorum, testium, accuratam considerationem, variorum graduum, quibus thema probandum probabile fit iudici, computationem Logices praeceptis aptissimam, ita ut

mi-

---

u) O. V. in praef. verbis: *Dieweil wir aber gleichwol etc.* O. R. in praef. verbis: *Und weiln hienächst zu denen bisherigen Weitläufigkeiten nicht wenig Anlaß gegeben, daß etc.*

v) Tit. V. XX seqq.